

Et hanc potestatem in successores derivavit. Luc. XXII:32. Nec esse Antichristum, quia notæ Antichristi 2. Thess. II. 4. Dan. XII. 11. Joh. V. 43. Dan. VII 25. descriptæ, ipsi non quadrent, sed contrarium potius. Wanderstr. p. 116. seqq. Resp. Ecclesia, ut unum est corpus, ita unicum habet caput. Eph. IV. 4. Petro datæ sunt claves, sed & reliquis Apostolis. Joh XX. 23. Eidem commissus est grex pascendus, sed & reliquis Ecclesiæ ministris Act. XX. 28. Petrus prior quidem interdum verba fecit, sed non propterea major extitit auctoritate jurisdictionis reliquis Apostolis. Paulo docente. Gal. II. 5. seqq. Petri fides non desuit, sed nec reliquorum (excepto proditore) Apostolorum, sive fidem quæ credit, sive creditur, intelligas, omnes enim in vera fide mortuos esse ab ipsis etiam Papistis creditur. Quare successores Petri (demus hoc) Romani Episcopi nullum privilegium præ successoribus reliquorum Apostolorum habent. Antichristi notæ congruunt Pontifici Romano, quia (1.) Vicarium Christi sese jactat, quod Paulus 2. Thess. 4. prædixit; ἀντὶ enim significat: pro; ut sit *Prochristus*: & hoc ipso *contra-Christus*, quia illum Vicariatum invito Domino sibi sumpsit: seq; extollit supra Deum, leges contra Dei verbum condendo, & Magistratum conculcando. (2.) Sacrificium Christi in cruce semel oblatum abolet suo Missatico Sacrificio substituto. Dan. XII. 11. Quod Judæi recepturi sint Antichristum ex loco Johannæ non conficitur: Nec enim sequitur: recipient alium. E. Antichristum Magnum.

Resp:

II.

*Pontificij vim argumentorum Evangelicorum non ferentes pugnam nova methodo declinant.*

II. Methodus veroniana examinatur.

S. I. **P**ugnatum est hæctenus inter partes, & ita quidem, ut Pontificiorum exceptiones & objectiones frustra fuerint. Robur equidem præcipuum ex vastis voluminibus argumentorum & effugiorum contraxit Archistrategus, neque tamen adversus manipulum nostrarum rationum subsistere valuerunt; quanto minus sustinerint vim nostram levioris armaturæ milites, ideoque cogitandum erat de nova quadam methodo Acatholicos sustinendi & repellendi, ea est hæc: Lutherani suas accusationes & assertiones (1.) probent primi (2.) ex meris & expressis SS. literis (3.) citra suam interpretationem & argumentationem. Ratio illius est, quia sunt Catholicorum

(1.) Propositur sententia Pontificiorum,